

AK. 520, 37

ULB Halle 3
 001 955 012



II f
 1030

RECTOREM
 ACADEMIAE MAGNIFICVM,
 PATRES CONSCRIPTOS,
 PROCERES,

ET
 GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS
 ACADEMIAE CIVES,
 A D O R A T I O N E M,

QVAM D. XXI. OCT. A. P. C. N. CIO DCCCCLI
 DE ELOQVENTIA, BONARVM ARTIVM
 INCREMENTA ADIVVANTE, HABEBIT,
 EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

I N V I T A T
 ET DE STATO LABORE, MAGNO VIRI ERVDITI BONO,
 D I S S E R I T

CHRISTIANVS CRYSIVS
 ELOQVENTIAE P. P. O.

BIBLIOTHECA
 POENICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE
 (BAALE)



LIBRARY
ACADEMIC DEPARTMENT
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
GENERAL SERVICES ADMINISTRATION
AND
OFFICE OF MANAGEMENT AND ORGANIZATION
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LIBRARY





Ingens diuinae benignitatis donum homini datur mens, suis viribus vicens, quae maximo cuique operi sufficiant. Hae autem non potentia, sed actu vsuque spectantur, et materiem quaerunt, in qua exseri versarique queant; vt, qui has exerceat, administer coelestis prouidentiae credendus sit, quae societatem generis humani mutuis necessitatibus ita deuinxit, vt non vnus modo alterius, sed omnes prope omnium, inuicem ope et auxilio egeant. Rerum enim humanarum natura multiplici ministerio diuersorum, quae ad vnum finem tendant, suum munus implet, et, vt singula absoluat, multis, immo vniuersis, vtitur; si modo recte, quid sit mundus, qui aptis inter sese et penitus nexis caussis totus continetur, perspexeris. Vnde nemo tam humili abiectaque in re industriam exercet, quin ea, quae gerit, vtilitati generis humani imputare possit, et rationi diuinae, qua gubernante orbis salus regitur, fidem diligentis obsequii praestet, si ea susceperit, quae, deo adsignante, fortuna obtulerit. Sicuti in locuplete domo, suis discreta gradibus, familia, dispensanti operas, domino morem gerit, siue instrui lautitias, seu egeri fordes iubeat; seu per cubicula tersam et mundatam supellectilem disponi, siue glareae sterni areas praecipiat; si modo nec trilinguariae fossor, neque obsonatoris partes scoparius, occupet; neque, qui curam et operae inspectionem debet, commodare manum malit: ita deo paret, ad officium vocanti, quisquis ad ministerium properat, cui se esse praepositorum, explorator sui animus admoneat. Vt regere aliqui possint, sint,



qui pareant, est necesse; vt duces esse, qui militent; vt docere, qui discant; vt vendere, qui emant; vt opificia exercere, qui opera conducant; vt vestimenta conficere, qui vestiantur. Ita fit, vt in bene constitutis ciuitatibus quamdiu leges, arma, studia, commercia, opificia requirantur, non magis sutor, quam magistratus; nec opifex, quam dux; nec mercator, quam liberalium artium magister, desiderari queat. Videamus hinc, licet, vt in orbem quendam haec redeant, quo tot diuersarum administrationum conspiratio, et veluti concentus quidam, efficitur. Adeo mundo sua demum ratio constat, quando ex omnibus constat; vt existimari hinc concludique possit, multa vitae necessaria, et sine quibus non omnes omnium vsus explicari queant, sic non retinenda modo in communi societate et conseruanda, sed sumenda quoque et conquirenda esse, nullius vt muneris vilitas vilitatem excludat, et cuiusque vt aestimatio, non ex necessitate minus et vsu, quam ex specie et voluntate, pendatur; si modo verum amare, et agnoscere humanae naturae indigentiam, quam erubescere et indignari prope aerumnis, malimus.

Quem tamen ad modum pluribus quae profunt, plaris etiam habenda sunt; sicuti sol, cuius splendore vniuersa illustrantur, stellis antecellit; et oceanus, qui commercia orbis iungit et humani generis consortia miscet, fluminibus praestat, quorum commoditas vtriusque ripae continuatione extenditur: sic variae, quibus hominum industria occupatur, artes, atque tot operum ingenia, secum de praestantia certandum habent, pro
ut



ut calculis utilitatum subductis aestimatio variatur, quae uniuersa singulis, communia propriis, multa paucis anteponeit.

Hinc regum maiestatem suspensa ab vno capite tot millium salus in suo fastigio collocavit; vita, iura, fortunae omnium, legibus atque armis tuendae, magistratibus sanctitatem, et militiae decus, adrogarunt; mentes excolendi, ingenia fingendi, et mores poliendi ratio, litterae ut in pretio sint, effecit, a quibus utilitatis idem omnibus, qui eandem curam adferunt, proponitur. Nulla enim gens in orbe terrarum viuit, quae non sentiat commoda artium, quibus vita iuuatur; quas litterarum praesidia instruunt; quae, usu auctore, doctrina magistra, perficiuntur.

Et multis quidem rebus haec litterarum dignitas sustinetur, ut, ex quo coli coeptae sunt, tam varii mirabilesque effectus, nunquam ut de earum praestantia dubitari queat, adparuerint. Graecia, quid possent, testata, Romaque experta est; et multae hinc gentes, quae turpem inertiam non ante, quam litterarum lumen acceperunt, exuere potuerunt, idem suo exemplo confirmabunt; ut hodie iidem humanitatis, qui litterarum regnum, termini concludant. Sed vna maxime causa eas sapienti commendat, quod cultorem suum otio diffuere non patiuntur; sed, qua in parte humanarum rerum summo a conditore locatus sit, ostendunt, et negotium, in quod facultates diuinitus concessas impendat, perpetuo monstrant. Labor enim, qui generosos animos nutrit, hominis felicitatem summam constituit, si diuinae prouidentiae depositum, suae fidei commendatum, honestarum artium studia, adpellatus a republica et





communi aliorum utilitate, reddit, et, quod viri sancti atque integri solent, non seruatim modo religiose, sed foenore etiam quodam diligentiae auctum, repraesentat.

Habet quidem hoc infirmitas humana, vt otio nihil optabilius aut dulcius credatur, et hoc solum sudoris magni atque tot asperorum, quae in vita tolerant, multi praemium petant, qui hos fluctus huius procellosae tempestatis, quibus caducis et miseris votis inhians mortalitas iactatur, ea mente se perferre aiunt, vt in portum quendam securae et desidis vitae aliquando ferantur. Quo tamen errore nullam maiorem perniciem nostro generi fabricari, inimicus et omnium malorum auctor, genius potuisset. Curas enim atque atras sollicitudines eadem, quae tetra vitia, desidia alit; cupidinem, tortorem illum internum et tot scelerum concitorem, armat; aegritudinem animi, in media bonorum copia fastidia agitantis, nec semet inuenientis, vbi, nullis curis, tanquam pondere quodam, certo in negotio defixus, per inane semper errat, abdito dulcium vitiorum veneno auget. Illud ipsum curis vacare et labore, in curis et labore non fugiendis, sed propter res praeclaras et suscipiendis et ad salutarem exitum dirigendis, sibi contingere sapiens volet; gnarus sibi a creatore deo datum animum, actu et negotio exercendum, ne torpore vitium contrahat. Dum enim id, quod sibi mandatam sciet, geret, solatium ex diuini consilii voluntate respiciens, adfuitate negotii delectabitur, neque molestiam vllam sentiet laboris, quem sibi magna ratio et tranquilli animi vberimus fructus



ctus commendabit. Non est infelix nec aerumnosus, tametsi in multa discrimina et dimicationes maximas obiectus, qui, ad quem finem destinata sua tendant, nouit, et qui cum iis luctatur, quibus superatis pulcherrimum praemium proponatur et conscientiae et famae. Iure potius miserimos ducamus, quos ignauiae suae et uitiis libidinibusque, hostibus acerrimis, conficiendos ludificandosque negotii inopia et consiliorum fluctuatio relinquunt; quibus indies magno strepitu in suas delicias, quin in cruciatus potius, insanientis vecordiae nihil proficitur, nisi ut, circumspectis miseriis suis, blandimenta inquietatae menti conquirant, quibus malorum suorum se a sensu auertant.

Adspice modo diuitem illum, in quo taedia ignauiae fortunae indulgentiam viciscuntur. Pecuniam non loculis arcisue dispositam, sed in aceros congestam, quotidie adspectat, ut oculos satietate, animum fastidio, auertat. Dubitat enim, ubi perdere malit. Deuincire quidem sibi largiendo ciuitates atque nationes totas possit, et regum quoque, si quid erogare libeat, amicitias nullo negotio comprehendat. Sed quia innumerabiles sunt, qui obligari queant, nullis impariendum ducit, quod electionem difficilem reddit, ubi maioris fructus spe collocet. Quid ergo agat? augere labore? Atqui dudum copia dispensandi anxietatem et dubitationem peperit. Occupet ergo, exercendae titulum quemcunque honestum quaerens. Ita villas struet, mercabitur fundos, prata, siluas, hortos: interim ipse, dum foenoris sui miracula surgant, palatium opulentiae urbis magnificum incolet, ut in arce lautitiae
nunci-



nuncios accipiat, quantum in agris fines sui regni luxuria extendat, et quantum insaniae, quae in magnificentiae apparatus suis damnis gaudet, incrementa census, semper tanquam noua a radice pullulantis, dependant. Minus tamen beatus erit, neque fortunatior turba, quam egestas aduigilare cogit, nisi marcens incurioso in ocio omnia haec administret. Magna securitas fidem immensarum opum faciat, oportet, ne curis et labore eorum iacturae metuere videatur. Iam pronus in meridiem sol stertentis lumina aperiet, non vigilaturi, nisi somnus deseruisset. Euoluerur ergo Attalidis stragulis; et interim, dum soleas poscit, grauato rationum fascibus dispensatori obiter operam dabit; et praefectos praediorum, factum esse, quod imperasset, nunciantes, oscitans audiet; et actuarios villarum, tanquam urbium, acta recitantes, dum vestitur, admittet. Tunc quotidiana haec conticescere volet, vt maius opus animo voluat. Diem sibi illuxisse videt, quem, qua re notabilem faciat, non inuenit. Imploranda luxuria est, vt hero, delicias facienti, ingenium commodet. A culina ciendae cateruae sunt, quae parandis epulis non conuiuium, sed spectaculum instruant. Per urbem dimittit, qui omnes, sibi proximos, sed longo interuallo, in opulentiae quodam quasi certamine, vocent, quos suis adparatibus inuidere posse, aemulari eosdem non posse, sciet. Adsunt; discumbitur; cibus valetudo, vino modestia et sanitas mentis, expugnatur; ventris, ingestorum mole laborantis, rebellioni sedandae, inter ferculorum alternationes, mora interposita, quasi induciae impetrantur; confabulationum hilaritas multis super rebus,



rebus, nihil tamen ad ipsum pertinentibus, animum a sensu fastidii sui auocat; donec vesperae aduentus iam insititii somni tempus suam vicem poscere admoneat. Surgitur et in cubiculum disceditur, donec meridiatio iam prope nocturna crapulae aestum tranquillet. Euigilare rursus non torporis nausea, sed fitis stomachi, viscidam muriam; male innatantem, diluere flagitantis, iussit. Ad caldae potum inde mensula adponitur sedenti, si strenuus est, nec in hemicyclo reclinatus sibi porrigi volet. Huic fatigationi, alternatione libidinum exercitae, lusus succedet, quo horae subsecivae ab ingluviei ministerio eximantur, ne suae infelicitatis reputatio animo, si vacare semel coeperit, obrepat. Tum, rursus a culina signo dato, vasa conclamantur, et in triclinium ad instaurationem caenae profectio indicitur, in qua post prandii intemperantiam experimentum fiat, quantum naturae, pauco et parabili alimento contentae, insultare liceat. Vbi nudatae, tanquam pinnis decussis, patinarum strues; vbi certatum poculis, et reliquiae sanae mentis expugnatae denuo; vbi risu et temulentiae voce, tanquam victorum adclam atione, diu triclinium personuit, ut per spaciosae domus responsantes ambages volutatus bacchicus vlulatus late resulset; re tam strenue gesta herus a mensa in cubile refertur, actae diei non magis gnarus, quam mortuus planctus, qui efferendo funeri tollitur. Laetari sane beatulus hic tam genialiter transacto die possit, nisi is crastinum traheret, qui easdem rursus curas sopiendae inter illecebrarum incantamenta mentis, ne rationis ad veram vitam vocantis vocem exaudiat, eundemque luxuriosae et exercitae desidiae mimum,

B

scena



scena tantum mutata, sit habiturus. Pulcre quidem omnia illa procedunt, vt alterum ex altero aptum quasi nexumque videatur. Sed si eadem quotidie recurrent, vt fatietatem consuetudo adferat: sed si finis non adparebit, ad quem huic desidia indormiens et per incerta ac supervacua errans vita contendat; dic, cur non hunc perire pessime, seque, ac sua omnia, perdere putes, neque magis diffiteri suos cruciatas posse, quam Tiberium in impuro Caprearum secessu? licet is singulis diebus falsae felicitatis choragium comparet, quod vix annuo sermone enarrari possit, suo tamen taedio arguente agnoscat, necesse est, magnam esse miseriam hominis, cui nihil a fortuna negotii datum sit, praeter curam, otium, male sano animo molestum, vt fallat. Itaque in hunc modum quolibet mane excitando et qualibet uespera rursus sepeliendo, vt non aliam requiem a fastidiosae copiae tumultu norit, quam somnum, mirum erit, ni interdum desidia odium nascatur, vt quouis impendio redimere negotii honesti votum paratus sit. Credo, si fundus saepius mendax, aut pestilente sidere interceptus annus liberare eum fastidii sui morbo possit, sterilitatem terrarum et aëris noxias iisdem precibus posceret, quibus antea diuitias; modo pax animo et tranquillum menti rediret, quae, caducarum voluptatum fluctibus semel obiecta, enatandi spem ac terram raro videt. Adeo quies, his ipsis, per quae petitur, si peruersè petas, amissa, beatos illos, et tam graui supplicio animi, sui neglectum vindicantis, obnoxios, fugit; vt nemo sibimet minus amicus uiuat, quam qui coelo tractum sensum, cui nil mortale satisfacit, bonis non suis obruit et exstinguit,

men:



mentemque, quae imperiosae voluptatis iugum toties iactat, dum pacare ludicris vult, mollitiae effeminat et incuria corrumpit. Inde inertiae per incerta solatia errantis sollicitudo, longe acrior omnibus aerumnis, per quas rei honestae merces quaeritur, incumbit. Vbi enim ingenium atque vires semel per ignauiam defluxere, triste solum ex adspectu alienae industriae, faciendo opere laetae ac felicitis, desiderium verae vitae manet, ut cruciati tormento, quod huic hominum generi poeta imprecatur, (*)

Virtutem videant intabescanque relicta:
ad quam sane, nisi ardua et regia illa via, quam labor et exercitatio muniunt, incedas, nunquam peruenias, et ne adspirare quidem possis.

Contra litterarum studiosum videamus, qui eas sapientiae et bonae mentis voto colit. Mane lectulo surget, non, ut somno fugiente stratorum mollitiem pertaesus, sed, officio vocante, venturo diei occursum. Post breuem curandi corporis moram, componet mentem; cogitationibus et consiliis arbitrum et moderatorem deum aduocabit; et pro beneficio gratias ager, quod perficiendis propositis, quibus praeteritae noctis vices intercesserant, praesentem diem sit largitus. Hinc librum mox sumet, et mentem aut sapientum praeceptis, aut virtutis exemplis, aut contemplatione pulcherrimorum prouidentiae operum ad laborum constantiam muniat atque praeparabit. Hinc stilum arripiet, ut ea, quibus imbutus animus nil nisi immortale spirare potest, litteris mandet, et futuris saeculis pro testimonio dicat,

B 2
(*) Perfluus. Sat. III, v. 38.



dicat, quam suis cultoribus mercedem sapientia rependat. Iam nunciatur hora, quae in publicum et ad negotia vocet, tum sic prodibit, non tanquam qui in turbam iners spectator, pabulum auribus oculisque captans, nihil praeter curiositatem ineptam adferat; sed qui omne, quidquid videat, quod homines concelebrent, partem esse ciuitatis dei, maximae illius et pulcherrime constitutae, agnoscat; in qua, quidquid officii faciendi causa administratur, in rationem prouidentiae inferatur, et pro gesto negotio sit. Hac cogitatione munitus non ad solita nau-seabit; non quotidianis offendetur; non ad subita stupebit; non inopinatis commouebitur; et ne tristibus quidem et ingratissimis perturbabitur: prorsus quasi eadem coelestis ratio, quae vniuersum tanta pulchritudine et concinnitate instruxit, eius quoque pectus disponat, et tanta aequabilitate, constantia, tranquillitate exornet. Vnde et alios suo munere fungentes placidus spectabit; adprobatione hortabitur; laudibus et fauore prosequetur; consiliis iuuabit; non liuore, non contentione, non iracundia, non morositate, non superbia, non ignorantia, intempestiue oburbaturus, aut aliorum arbitrio administranda praepostere sibi vindicaturus. Ea, quae communis vtilitatis fors ipsi assignauerit, sic tractabit, vt opera appareat; vt praestet plura, quam promittat; vt exigentibus probare curam possit; vt ad fidem omnia, nihil ad speciem referat; vt alius exemplum, sibi conscientia sufficiat. Sentiet enim manifestis rationibus, vel ex studiis, persuasus, deum interesse omnibus, quae agimus gerimusque, eumque non modo facta sua atque opera, sed consilia quoque et proposita spectare, credet.

Ne

Ne gloriae quidem, cogitatione leuitatis hominum anxius, inhabi-
bit; quam ipsam nihil esse aliud intelligat, quam quod a re-
cte factis et ab honestate non magis abesse possit, quam umbra
a corpore; quod pendendum sit iudicio peritorum, qui pauci
sunt, non admiratione vulgi, cuius assensio pessimi argumen-
tum est; quod si quando praesens aetas inuidia aut ignorantia
impedita neget, posteritas tamen magno foenere redditura sit.
Hac tranquillitate mentis quidquid susceperit, cuiunque se rei
dederit, quid non successurum, aut casurum ex voto, putabi-
mus? Perfunctus his, quibus destinatus dies fuit, corpore refici-
endo vacabit; non ut gulae voluptas contractam labore mole-
stiam soletur, sed ut vires recipiat, quibus animus quoque vege-
tetur. Mensam Socraticam munditia et frugalitas instruent;
sermone remissi, sed non scurrarum in licentiam soluti, animo
interea, in quo requiescat, dum corpori satisfit, ministrabunt. Sic-
uti enim homini docto et erudito viuere est cogitare, ita illa
ipsa corpori praebenda voluptas sine opportuna animi exhila-
ratione plena atque integra non gustatur. Si forte dies, candi-
diore nota numerandus, conuiuam, ad eandem, quam ipse a-
mat, frugalitatis legem compositum, dedit, non de multipli-
cando foenore, non de praediis multorum dierum itinera com-
plexis, et per diuersas nationes continuatis, non de fortuna
aliorum subruenda, non de fama cuiusquam finistris rumori-
bus labefactanda, consilia conferentur: sed quid mentem me-
liorem reddat; quid vitae aerumnas leuet; quae ad diuinae
prouidentiae admirationem insignia, quae ad vitandos huma-
nae miseriae scopulos profutura, obseruentur, grauis et ab-

B 3

strictus



strictus sermo expendet, qui efficiat, quod de Platonis conui-
 uio Timotheus restatus erat, vt tales caenae non solum in
 praesentia, sed etiam postero die iucundae sint. Vbi autem
 hilaritas, quae cum modestia calculos ponat, vterius confa-
 bulandi suauitatem prouexerit, musas, bonae menti amicas,
 ad sacra hospitalis mensae aduocabit, vt philosophis historici,
 his oratores, omnibus demum poëtae succedant; quorum di-
 cta, pro acroamate obiter prolata, non ab anagnostis, sed a
 fideli memoria promantur. Sic nempe conuiuentur, apud
 quos candor, simplicitas, verecundia temperatae laetitiae mo-
 derantur, et veritas vt poëta Thebanus cecinit *ἀψευδὲς δὲ πρὸς
 ἀμμονὶ χαλκνεύει γλωσσῶν*. Surgendi tempus non fatietas et nau-
 sea, sed laborum pomeridiana pensa indicent; vt hefternae
 diligentiae reliquias ad conditam operam reuertens animus
 conficiat; vt nouum opus priore curatione defunctus susci-
 piat; vt secuturis curis eruderandam materiem praeparet.
 Vbi tamen humanae imbecillitatis conditio sui admonebit, vt
 fatigationem sentiat inter seria, non odisse negotium incipiet,
 vt nihil agere, quam otiosus esse, malit. Feriabitur enim
 tunc quoque inter libros, et posuisse negotia sibi videbitur,
 vbi mentis intentionem infirmitia lectione interciderit. Antea
 egerat, quae omitti differrique non potuerant; nunc sui sibi
 iuris verumque contingere otium ducet, quod ad lubitum,
 quoad delectatio auidum ingenium fatiet, litteras occupatio-
 ni, et musae amorem muneris religioni, substituere permitti-
 tur. Huic ergo, quem secreto suo tam alta quies nutriat,
 quem tandem turbac tumultum obstrepere, quas sirenas il-
 lece-



lecebrarum ferale veluti melos occinere posse putas, cuius puras atque castas aures obsuruisse dudum ad vana quaeuis et noxia cognoscas? Illa ipsa, quae ad contemplationem et ad inuestigationem admirationemque consiliorum coelestis rationis e rerum humanarum orbe illo, quo voluntur, seliget, vt in sacrario compositi pectoris condat, non anxius neque ex illorum ambiguo suspensus intuebitur; sed in omnibus praesentem Deum, cui sancta mente conuiuuit, veneratus, ei spes atque vota sua commendabit, et euentus atque consiliorum exitus cunctos ad ipsum referet auctorem. Quemuis diem pulchro et concinno rerum ordine distinctum sic componet, vt nocte, non tanquam in ignauiae sepulcro in lecto se condat; sed vt gratam naturae vicem subeat, qua quies corpori animoque data serenum postero die maius spondeat, quo gaudens ad relictia magis, quam dilata, negotia redeat; parcus ac prouidus temporis dispensator, quo bene collocato nihil sibi e bonis suis auferri, sed ea ipsa, quae praeteriisse videantur, saeculo illi meliori et maximo, quod piorum felicitati proponitur, reseruari sciat. O quietem, securo suo praesidentem et beatam! o vitae inconcussae tranquillum! si quibus ad haec adspicere et eniti sat mature contingat.

Haec quidem dum dissero, quid mihi animi sit, ostendere volui, quum cogito, quantum voluptatis ex laboribus, quos officii ratio iniungat, capiatur, et quantum perpetua exercitatio, quae vigorem et alacritatem ingenii alat, solatium
inter



inter tot lubrica et fluxa vitae humanae praestet. Egregiam enim ac praeclaram prorsus mihi oblatam esse occasionem intelligo, opere faciendo laetandi, quod dei immortalis providentia, AC POTENTISSIMI REGIS POLONIAE, PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE, FRIDERICI AVGVSTI, DOMINI LONGE CLEMENTISSIMI, iussu in illustri hac et florentissima Academia eloquentiae professor P. O. constitutus, quem studia mea habitura sint decursum, video. Eum ut deo bene iuvante ordiar, d. XXI Oct. proximo de eloquentia ipsarum artium incrementa adiuuvante verba in auditorio maiore faciam. RECTOREM ergo ACADEMIAE MAGNIFICVM, PROFESSORES EXCELLENTISSIMOS et quoscunque litterarum amantes Ciues atque Hospites generosos ac nobilissimos ea, qua par est, obseruantia oro atque obsecro, vt honorificam suam praesentiam rite inaugurandi muris mei primordiis commodent, ac sua beneuolentia et humanitate signum quasi quoddam ad bene de exitu propositorum meorum sperandum tollant. D. Viteb. d. XVII.

Oct. A. P. C. N. CIO IO CCLL



VITEBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
 ACADEMIAE A TYPIS.



OK. 520, 37

ULB Halle
001 955 012

3



RECTOREM
ACADEMIAE MAGNIFICVM,
PATRES CONSCRIPTOS,
PROCERES,

ET

GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS
ACADEMIAE CIVES,

A D O R A T I O N E M,

QVAM D. XXI. OCT. A. P. C. N. c1o1oCCLII.

DE ELOQVENTIA, BONARVM ARTIVM
INCREMENTA ADIVVANTE, HABEBIT,
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

I N V I T A T

ET DE STATO LABORE, MAGNO VIRI ERVDITI BONO,

D I S S E R I T

CHRISTIANVS CRVSIVS
ELOQVENTIAE P. P. O.

